



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Antipharmacum.

ORIGINATIO hæc, quod *Beichten* ſit quali *Beſüchten*, hoc eſt, *betennen*, *fateri*, ferri poteſt; ſed non ideo hæc actio hoc nomen habet, quòd in confeſſione *Catechiſmus* ſit recitandus, vt vult Lutherus; ſed quia malè commiſſa hîc ſunt patefacienda & confitenda. Hinc etiam in foro externo vocabulum *Drſicht* non niſi in criminalibus & maleficiis uſurpatur.

Quæritur III. Quis præceperit confeſſionem auricularem. Reſpondet Lutherus Tom. 1. Lat. Witeb. Hom. de confeſſione *Papam præcepiſſe, non Deum*. Auricularem confeſſionem, inquit Lutherus, *quæ ſit coram ſacerdote, Papa mandauit. Eam Deus non præcepit, verum Papa ad eam coëgit homines.* *Diſe Beicht hat der Papſt geſtreng geboten / vnd ein Nothſtall darauß gemacht / daß es zu erbarmen iſt.* *Hanc confeſſionem præcepit Papa, & in neceſſitatem vertit, adeo vt ſit commiſeratione digna:* inquit Lutherus, Tom. 1. Nouorum Operum Serm. de Confeſſione, qui & in Homilia de Confeſſione Tom. 1. Lat. Witeb. *verè illud tempus* (ultima ſeptimana Quadrageſimæ) à Germanis paſſionis hebdomas (*Warterwochen*) appellatum eſt, *miserè enim excarnificantur, hoc præſertim tempore, conſcientia;* (eorum ſcilicet, quibus confiteri crux eſt) *cum magno animarum ac ſalutis periculo.*

Antipharmacum.

DEVM, non Papam primitus, vel Papam, non niſi poſt Deum, confeſſionem præcepiſſe, patet ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Nam ſi Apoſtoliſ dedit præceptum peccata remittendi; aliis

Q itidem

itidem præceptum dedit vt ad eos, qui hac potestate præditi sunt, confugiant, & remissionem malè commissorum postulent. Et si Apostolis dedit præceptum curandi ægros, ægris itidem præceptum dedisse censendus est, vt securari sinant; sanandosque spiritualibus Medicis offerant: quandoquidem sine curatione in regnum Dei introire non possunt. Si autem pontifex sua quoque auctoritate, efficere voluit, vt quod Christus, cuius ipse vices gerit, mandauit, certo & præstituto tempore ad rem conferretur, nimirum nil aliud fecit, quàm quod fidum pastorem decet.

Quæritur IV. Num obtemperandum sit, quando pontifex confessionem mandat. Respondet Lutherus Tom. I. Nouorum operum, Serm. de Confessio. *Eben darumb wil ich nicht beichten / daß es der Bapst geboten hat vnd haben wil: Dann er soll mir die Beicht frey lassen / vnd keinen Zwang noch Gebot darauß machen / daß er kein Wacht / noch Gewalt hat zu thun. Eam solam ob caussam confiteri nolo, quia Papa id mandauit: Confessionem enim mihi liberam relinquere, neque in necessitatem vertere debet, cuius faciendi nullum penitus ius habet.* Et in libro de Confessione ad Franciscum de Sicking. *Fidele consilium meum est, vt homo Christianus tempore Quadragesima & Paschatis, non confiteatur, nec ad Sacramentum accedat. Et cogitet ita: Ecce, quando hoc præcipit homo, Papa scilicet, ob id ipsum non faciam; & si non præcepisset, vellem facere. Faciam autem alio tempore, quo non præcipit, quando, & quomodo mea libera voluntas & deuotio me tetigerit.*

*Citat Cochlaus
in Septicipite
Luthero cap. 30
Exstat Tom. 1.
Ien. Germ.*

Anti-